



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 38. Ejusdem Myst. punct. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

**COLLOQ.** Ad Christum , petendo , ut nos suâ gratiâ inflammet, ad delenda delicta juventutis, & resarcienda damna , quæ in negotio salutis passi sumus.

**RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.**

## MEDITATIO XXXVIII.

*De Ascensi in Templum anno duodecimo.*

Luc. 2. Myst. punct. 3.

**CONGRUA.** Ut supra.

**PRÆL. I.** Quomodo post triduum inventus sit in Templo inter Doctores.

**PRÆL. II.** Repræsentare sibi locum illum Templi.

**PRÆL. III.** Petere gratiam obediendi Christo, vocanti ad perfectionem Evangelicam.

**PUNCTUM I. PERSONÆ.** MEM. Considerare B. Virginem, & Beatum Josephum , sollicitos in quærendo JEsu.

**INTEL.** Erant dolentes . Nam postea dicebant : dolentes quarebamus te . Luc. 2. Effe sine JEsu gravis est desolatio, quæ ut detergatur , quærendus est JEsus. **REFL.** Inquiramus causas desolationum nostrarum, & an satis disponamus nos ad consolationem, JEsum quærendo , juxta Reg. 9. & seqq. hebd. i. de disc. spir.

**VOL.** Conjungamus studia nostra quærendi JEsum cum B. Virgine, & S. Josepho. Dicamus cum

K. s

S. Ber.

S. Bernardo: *JESU dulcis memoria, dans ver cordi gaudia, &c.*

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. *JESUS ait ad illos:... Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc 2.

INTEL. Ratiocinemur, fortis illâ interrogâtione, *Nesciebatis &c.* Christum tamquam manifestam veritatem inculcare, deserendos esse Parentes, consanguineos, &c. Ut Deum vocantem sequamur. REFL. Notemus, hoc idem esse quod meditati sumus *in Fundamento*; abstinendum scilicet ab rebus creatis quibusvis, quando ad finem prosequendum obsunt.

VOL. Gratias agamus Deo, quod ad statum Evangelicæ perfectionis nos vocaverit: sed confundamus nos, quod postquam majora propter ipsum reliquimus, propter res parvas sàpè obsequium ejus omittamus.

**P**UNCTUM III. OPERA. MEM. *Invenierunt illum in Templo.* Luc. 2.

INTEL. Discamus, Christum inveniri in Templo, in oratione, & exercitiis Spiritualibus. REFL. Notemus id conforme esse Reg. 6. hebd. 1. Discip. ubi docemur, *insistere orationi, &c.* dum sumus in desolatione.

VOL. Statuamus accuratè observare Reg. 1. com. & quotidie, rebus spiritualibus nos impendere, *cum omni diligentia in Domino*, ut Christum inveniamus.

**C**OLLOQ. Ad Christum, ut in statu Evangel.

ex perfectionis dignè progredi , eumque in quotidianis Exercitiis Spiritualibus, invenire, & conservare possimus. RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

## MEDITATIO XXXIX.

### *De duobus Vexillis.*

**H**Æc meditatio capitalis satis exponitur in libro *Exercitorum*; præsertim si addantur *Explanationes*. De hac Meditatione sic loquitur S. P. Noster. *Transigetur hoc Exercitium semel in mediâ nocte, & alterâ vice sub auroram. Repetitiones vero duæ.... erunt factendæ, additis in fine tribus colloquiis.* Ex quibus patet, quām altè hæc meditatio per Repetitiones animo imprimenda sit, quippe cum quā reliquæ meditationes, quæ sequuntur, connectendæ sunt.

## MEDITATIO XL.

### *De tribus Hominum classibus.*

**H**Æc Meditatio cum suo *Notando*, etiam satis exposita est in Libro *Exercitorum*, & in *Explanationibus*.

MEDI-